




S. Vincentii Ferreri
ora pro nobis

DEVOTÆ ORATIONES AD S. VINCENTIUM FERRERIUM,

ORDINIS PRÆDICATORUM,


APOCALYPSIS ANGELUM, HISPANIARUM APOSTOLUM. MUNDI THAUMATURGUM.

Cum exercitio ſpirituali ſeptem hebdomadum cujuslibet Feriæ ſextæ, vel quartæ, præcedentium glorioſam ipſius Feſtivitatem, quæ eſt quinta Aprilis.

Translatæ ex Idiomate Italico, & Hiſpanico in Latinum.



B U D Æ,
TYPIS LEOPOLDI FRANCISCI LANDERER, TYPOGRAPHI.


EX LIBRIS
BIBLIOTHECAE
CONVENTUS
VIENNENSIS ORD. PRAED.


WIEN

GLORIOSISSIME

VINCENTI.



DUm Tuo *honori, hanc meam, ex Italico & Hispanico in Latinum Idioma, translationem consecro, maximum* Tuæ *potentiæ ostende prodigium, & me algidum, infervidum* Tuum *Servum & Clientem converte, siquidem* Tua *factum est dispositione, ut Primitias meas solemniter die* Tibi *sacrato* DEO *offerrem.*

Ó VINCENTI GLORIOSISSIME *qui primæ meæ favisti oblationi, gaudeant & aliæ, & præsertim ultima, suppetiare mihi quatenus hoc munitus Viatico pretiosissimo nempè* Corpore Christi, Tuoque *potenti Patrocinio feliciter præsentetur ante Tribunal Christi peccatrix anima mea.*

Clientum infimus
F. PETRUS ZOMBORY,
S. O. P.

DEVOTO LECTORI.

AD excitandam Devotionem erga S. Vincentium Ferrerium, Apocalypsis Angelum, Hispaniarum Apostolum, Mundi Thaumaturgum, jam quasi per universum orbem dilatatam, ad illam populo Christiano etiam in nostris Regionibus fructuosè instillandam; ad implorandum ipsius potens patrocinium, qui à DEO Omnipotenti tantâ dotatus fuit gratiâ, ut per viginti annorum decursum quotidie ad populum concionem habuerit, quotidie manè, & serò, pro patrandis miraculis populum campana convocaverit, & aliis eadem faciendi potestatem tribuerit, qui nativâ linguâ verbum DEI prædi-

 cans

cans ab omnibus intelligebatur nationibus, qui ſe Angelum Apocalypſis eſſe teſtatus eſt, & inſigni miraculo mortui ſuſcitati comprobavit, quem etiam velut Angelum volare multi conſpexere, cujus denique inſtantiæ ſe Sanctiſſima ſubſcripſit Trias, devotas in lucem prodimus orationes, cum exercitio ſpirituali, ut cupientes Chriſti Fideles approbatam, & à multis pio affectu frequentatam devotionem ſeptem dierum Feriæ ſextæ, vel quartæ, in memoriam ſeptem donorum huic prodigioſiſſimo Sancto modo ſpecialiſſimo à Spiritu Sancto communicatorum peragere, ipſius protectionem implorare poſſint, & conſequi Indulgentias à Summis Pontificibus Benedicto XIII. & Benedicto XIV. conceſſas, etiam unam plenariam, ut in Bulla conſpici poteſt. Vale.

BENEDICTUS XIII.

CUm ſicut accepimus in Eccleſiis Fratrum Ordinis Prædicatorum, pia erga Sanctum Vincentium Ferrerium, præſertim in ſeptem Feriis ſextis, ejusdem Sancti Feſtum immediatè præcedentibus, devotio introducta fuerit, prout de præſenti etiam viget. Nos ad eam confovendam, & augendam Fidelium Religionem, ac animarum ſalutem, cœleſtibus Eccleſiæ Theſauris pia charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriusque ſexus Fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis dicti Ordinis, in una ex prædictis Feriis ſextis, per eos ad ſuum libitum eligenda, devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad

Deum preces effuderint, plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis verò Feriis sextis hujusmodi, iisdem Christi Fidelibus, verè pariter pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, aliquam ex prædictis Ecclesiis, ut supra, visitantibus, & ibidem orantibus, qua Feria prædictarum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consveta relaxamus.

ORA-



ORATIO DEVOTA

Pro obtinenda protectione gloriosi Apostoli Hispaniarum

S. VINCENTII FERRERII.

APostole gloriosissime Hispaniarum, & sol splendidissime mundi, Sancte Vincenti Ferreri, qui dum viveres, ubique effudisti, & modò de Cœlo splendores tuarum gratiarum, & miraculorum effundere non desinis, ecce ante tuam clementiam prostrata anima mea, quæ te pro tuo efficacissimo Patrocinio humiliter rogat, sciens, quam potens Advo-

catus ſis apud ſummum Judicem Chriſtum; quoniam ille te miſit velut Angelum Apocalypſis ad annunciandum omnibus populis, gentibus, & nationibus proximum judicium, quale cum tanto fructu animarum prædicaſti, quòd plusquàm octuaginta millia Mahometanorum, & plusquàm viginti quinque millia Hebræorum ad fidem adduxiſti, & ad pœnitentiam plusquàm centum millia publicorum peccatorum, qui moti fuerant à gratia, ipſis, tuis orationibus impetratâ, tuis compuncti prædicationibus, & tuis innumerabilibus convicti miraculis. Præterea ad te ducebantur infirmi, & tactu tuarum manuum ſanabantur, ad te recurrebant ſurdi, & obtinebant auditum, veniebant muti, & aquirebant loquelam, & ad expel-

pellendos Dæmones ab obſeſſis corporibus omnis tuus nutus ſufficiebat: & tandem mortuis donaſti vitam, & vix ex decimo anno ætatis tuæ ſuſcitare cœpiſti. O mi Advocate magne, quæso te, ut mihi timorem DEI impetres, cum quo taliter vitam meam dirigam, ut in tremendo judicio ſententiam bonorum promerear. Bene cognoſco, quòd propter peccata mea à ſummo Judice damnationem mereor, ſed ex corde te obſecro, ut mihi veniam obtineas, nam mihi magnoperè diſplicet, me hucusque tantis criminibus Divinam offendiſſe Majeſtatem, promptus ſum mutare mores, & in bono perſeverare nunc, & usque ad mortem. Et, ut ſolicitudines mundi mea non impediant deſideria, in tua paterna

brachia me projicio, ô mi Protector, ſperans, quòd in omnibus neceſſitatibus, infirmitatibus, & miſeriis hujus vitæ me proteges, cùm ſis Pater pauperum, ſalus infirmorum, refugium tribulatorum, ut plenè continua, ac ſtupenda teſtantur miracula, quæ per univerſam orbem, ubi es cognitus, & invocatus, in commodum tuorum felicium devotorum operaris, in quorum numerum rogo te, ut me recipias, ut poſſim te ſimul cum ipſis ad majorem gloriam tuam, & profectum animæ meæ è longinquo hic inferiùs venerari in terra, & mihi conceſſum ſit magis magísque à propinquo æternaliter te honorare in Cœlis,

Amen.

Orationes variæ dicendæ ante & post Sacram Confessionem, & Communionem, septem diebus Feriæ quartæ, vel sextæ præcedentibus gloriosam Festivitatem S. Vincentii Ferrerii, quæ est quinta Aprilis.

Oratio dicenda singulis septem diebus Feriæ quartæ vel sextæ, vel quocunque die ad impetrandam, â S. Vincentio Ferrerio aliquam gratiam particularem.

SIcuti æternus DEUS ad Omnipotentiam suam ostendendam, ut possit suam elargiri misericordiam cuicunque verâ fide postulanti, posuit te in mundo Protector mi, thesaurum inexhaustum gratiarum, ita assistendo in Cœlo Throno suo, majoris valoris erunt tuæ intercessiones apud illum, cujus gratiâ hic inferiùs propriarum calamitatum auxilium implorat. I-

deo

deo plenus fiducia ad tuos pedes me prosterno, tibi quantum scio commendans necessitates domus meæ, familiæ, conjunctorum, amicorum, & benefactorum, sed præsertim peto (*hic exprimitur gratia, quæ postulatur*) ah Sancte Gloriose, fac ut defraudata non maneat firma spes, quam habeo de patrocinio tuo, cum omni fervore apud suam Divinam Majestatem interpone pro me supplicationes tuas, & tantum me adjuva, ut exaudiar, dummodò hoc videas esse pro salute animæ meæ, pro Gloriâ Dei, & tua; aliter crescant quidem tribulationes, quòd in hoc gaudebo, & ad mensuram augeatur mea patientia, & sic in portum salutis deducatur anima mea, Amen.

Oratio oblatoria dicenda singulis septem diebus ante Sacram Confessionem.

SAnctissima Trinitas te adoro ex intimo cordis mei, totum me ipsum tibi offero, & tibi gratias ago pro summa bonitate, & gloriosâ potentiâ, quâ dignatus es in mundum mittere Sanctum ita magnum, sicuti est S. Vincentius. Hoc ego cognosco pro una de insignioribus gratiis cœlestibus; impotens tamen ut istis respondeam beneficiis, ô mi bone JESU, gratias tibi ago Pater æterne, quòd ipsi tantam communicaveris potestatem: tibi Fili, quòd ipsi tantam infuderis sapientiam: tibi Sancte Spiritus, quòd ipsum tanto amore, & zelo erga animas accenderis, & si sufficientes non sunt lau-

des

des meæ, tibi tribuo merita ipsius Sancti, qui te laudat in Cœlis, & interim ego de ipsius potentissimo Patrocinio sollicitus, celebrabo ipsius septem dies Feriæ quartæ, vel sextæ ad gloriam tuam, & ad ejus honorem, sicuti per te debetur Sanctis, & tibi in Sanctis per omnia sæcula sæculorum, Amen.

PRIMA DIE FERIÆ QUARTÆ VEL SEXTÆ.

Oratio ad Sanctum Vincentium Ferrerium ante S. Confessionem.

NOn audeo hodie, tremende mi Judex exhibere me coram divina tua Majestate, sciens, quòd justè pro suis sensalibus deliciis in profundum baratrum infernalem relegas epulones, & in Cœlis La-

zaros famelicos glorificas. Inferos ego promereor cum epulonibus, quia miſeriarum Lazari inimicus fui. Omnibus diebus vitæ meæ non aliud cogitavi quàm ſatisfacere fœtido corpori, aliud non amavi, quàm voluptates, huc usque ſolumodò mihi ipſi vixi, & proprio appetitui. Et Deus? Deus adhuc me expectat pœnitentem: quid tardo? Si prius mihi ipſi valde amicus fui, & perfidus inimicus Dei, nunc muto cogitationem, conditionem converto. Inimicum mei ipſius, & meorum appetituum me declaro, & ſemper Crucifixum amabo. Ita volo, & propono Deo meo, & dolens ad pedes Sacerdotis miniſtri ſui me proſterno.

Alia Oratio ante S. Confessionem ad eundem.

GLoriose Protector mi, si unquam pro meis culpis motivum habui erubescendi, & coram te confundendi, modò certè talis confusio cooperit me, videns me ita maculatum, & immundum ex opposito tuæ Angelicæ puritatis, cognoscens me corde & affectibus sordibus illius vitii immersum, quod supra omne aliud abhorruisti, ut nequidem à terra oculos, & frontem erigere audeam. Et cum, jam confusio mea evanescat, & per Divinam misericordiam ad bonam frugem regressus sim, obsecro te, per sanctam puritatem, quam semper coluisti, ut tua intercessione complementum Cœlestium misericordiarum mihi obti-

neas,

neas. Impetra mihi ab Auctore Virginum, à Regina puritatis summum horrorem ad omnem umbram, quæ huic pulcherrimæ opponitur virtuti, intimum dolorem omnium impudentissimarum libertatum, quas mihi ausus fui accipere, extremam aversionem ad abominatos mores, à me hactenus exercitos. Tandem adjuva me, ut sinceram, & dolentem confessionem faciam, præsentia mea proposita consolida, quæ firma, & stabilia subsistendo, veram munditiam mentis, & corporis semper implorem, assiduis mortificationibus concupiscentiam sensûs reprimam, & cum Christiana circumspectione, & providâ cautione, semper servem me remotum ab omni periculosa occasione peccandi.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium post S. Communionem.

ET qualis eſt, mi DEUS, qualis eſt infinita dignatio tua, quòd in cor ingratum, & infidum venire digneris? quot, & quot vicibus ſub ſpecie fidi diſcipuli, ſequacis fidelis, filii amantis, ad Sacroſanctum acceſſi Altare, quando inimicus, rebellis, impius proditor realiter exiſtebam! quot vicibus ſumendo pretioſiſſimum Corpus tuum demonſtrationes externas faciebam libaminis irrevocabilis meorum affectuum, ſpiritualis unionis tecum, divine amans, & charitatis reciprocæ, quæ inter animam meam tranſit, & Euchariſticum Dominum; cum è contra, omnem amorem meum Idolis ſelectis, appetitibus abominabilibus,

bus, effrenationibus brutalibus mearum paſſionum affectus conſecraverim! Quot vicibus tandem auſus fui ſacrilegè recipere te in cor ſordidum, impurum, & immundum, tantis enormibus repletum peccatis! Ah mi Jesu non erit ita deinceps, mediante tuâ Divinâ gratiâ, non ita erit: modò ob amorem tui omnes meas præteritas licentias deteſtor, & abominor, revolvo affectus meos à pulchritudinibus terrenis, à voluptatibus mundanis, & totum me ipſum tibi conſecro. Fac mi amabilis Redemptor, ut hoc Divinum Sacramentum, ſit, ſicut dixiſti per os Zachariæ Prophetæ: Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines, meas mutet cogitationes, affectus transformet, & ardentem fomitem concupiſcen-

piſcentiæ reprimendo, ſanctæ puritatis mihi caſtum infundat amorem, ut ego quoque ad imitationem Sancti Vincentii, ſemper vigilem cum ſolicitudine ad illam illibatam cuſtodiendam ab omni, & quacunque umbra, quæ etiam leviter illam obfuſcare poſſit.

Alia Oratio poſt S. Communionem ad eundem.

O Sancte Vincenti puriſſime, qui usque ad mortem intactum, & odoriferum lilium virginitatis conſervaſti, ſana mediante Divinâ gratiâ meos corruptos affectus, unde poſſim cuſtodire mundum ſpiritum meum ante oculos DEI, reportare victoriam à tentationibus, meritum aquirere caſtitatis, & ſine macula vivendo, dignus ſim ad inhabitandum æternum pu-

rissimum Tabernaculum Regni Cœlorum.

SECUNDA DIE FERIÆ QUARTÆ, VEL SEXTÆ.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium ante S. Confessionem.

SCio mi Crucifixe Domine, quòd mea superbia spinis coronavit tempora tua, meæ inanes gloriæ tibi permutatæ sint in ludibria, & tamen iste peccator superbus adhuc tibi tantas renovat pœnas. Ah vilissimus ego sum, & putridus vermis terræ; Et quis invenietur, qui meam obstinatam patiatur superbiam? Eritne DEUS, unicus, & supremus Dominus universi, qui puncto temporis me destruere poterit, & in cinerem reducere, èo modo quo de pulvere me formavit, qui me sustinebit,

& mihi remittet? imo me ſuffert, & remittit; DEUS meus, cum jam habeas cor ita amans, ut mearum ſuperbiarũ obliviſcaris, ego etiam hoc mane habeo animum diſpoſitum mediante tuâ Divinâ gratiâ nunquam te offendendi, nunquam volo tuam longanimitatem prodere, ut non in tuam incidam indignationem, & cum ſuperbo Lucifero in perpetuum deſperanter cruciar in inferno.

Alia Oratio ante S. Confeſſionem ad eundem.

GLorioſe mi Advocate, & Protector, ne avertas aſpectum tuæ pietatis à me, ſed potius meis ſummis miſeriis miſerendo fac ut ſtatum infelicis animæ meæ recognoſcam, & cognoſcens me pro illo indigno peccatore, qui realiter

liter ſum, mutem in idæas Chriſtianæ ſubmiſſionis præteritas opiniones ſuperbiæ meæ, & ad imitationem humilis, & dolentis Publicani Divinam miſericordiam implorare incipiam, corde contrito dicens: Domine propitius eſto mihi peccatori. Adjuva me, ut victâ omni repugnantiâ, ſuperato omni rubore, & pudore, qui per Diabolicam inſinuationem ad profananda Sacroſancta Divina Sacramenta tot vicibus me induxerunt, ad pedes Confeſſarii curram, & in dolentes ſinceriſſimas accuſationes de omni peccato meo prorumpendo, patefaciam Miniſtro DEI omnes latebras cordis mei, universa hucusque à me tacita ſcelera. Obtine mihi gratiam concipiendi intimum, & conſtantem dolorem de ſacrilego ſilentio, &

 de

de omnibus meis transactis culpis, quas omnes modò ſuper omne aliud malum deteſtando, cum Divino adjutorio, & tua aſſiſtentia firmiter promitto, me ſemper velle habere ſcopum, non ad meum miſerum caducum, & falſum honorem, ſed ad illum Dei, ſemper in gratia ſua creſcere, mundare cor meum, & procul ab omni macula culpæ tenere. O mi Sancte Advocate, fac, ut ſint exauditæ ſupplicationes meæ, ſpes meæ adimpletæ, & cum immobili firmitate præſentia mea propoſita à Divinâ gratiâ conſolidata.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium poſt S. Communionem.

Mi DEUS, & mi Domine, quâ fronte, & quâ præſumptuoſâ audaciâ auſus fui accedere ad ſa-

ſacrum Altare, & in cor ſuperbum accipere ſummam Majeſtatem mei amore tam humiliatam? tu cum ſis ipſa innocentia & Deus omnipotens ad noſtras miſerias te humiliáſti, hominibus aſſimilaſti, ſpecies peccatoris aſſumpſiſti, & propter exceſſum infinitæ charitatis imponendo ſuper te noſtra delicta, tranſtuliſti in te omnes inſultus, injurias, conculcationes, noſtræ ſuperbiæ meritò debitas, tu pertuliſti te vocari iniquum, dæmoniacum, ſeductorem, complicem, & actorem perfidiſſimorum peccatorum, & majorum horrendorum ſcelerum, & omnia tolleraſti, ut à lacu ſuperbiæ liberares animam meam, ut accenderes me ad amorem ſanctæ humilitatis, ut tandem induceres me ad ſequelam unius DEI, qui ab immenſis & æ-

ternis magnitudinibus ad extremas miſerias pro meo amore ſe humiliavit. Et ego? & ego? plenus ſuperbia inferna-li, ſequi veſtigia DEI humanati repugno, & vado poſt reprobata veſtigia Luciferi. Ah JEſu mi Redemptor amabilis, qualis horror modo cooperit me ad reflexionem ſuperbiæ meæ exceſſivæ, cujus cauſa meum falſum honorem ſuſtineo apud homines, & nihil curo me eſſe objectum abominabile tuorum aſpectuum: Tot, & tot vicibus peccata mea Confeſſario occultavi, & ſic inquinatus, immundus, impius, ingratus, & infidelis, novô horrendô Sacrilegiô recepi te in cor meum. Ah mi Deus pietatem, & miſericordiam habe mei, modò deteſtor & abominor meam præteritam ſuperbiam, & per virtutem hujus Di-

Divini Sacramenti à te imploro, ut ſicut à principio ad ſcholam cœleſtis humilitatis me invitaſti, quando dixiſti: diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, ita nunc reſidendo in corde meo, non tantum ut ſupremus, ſed etiam, ut Magiſter Divinus, me inſtruis in modum, ut perveniam ad percipiendam ſalutaria documenta humilitatis, quam ſemper dilexiſti, & nobis commendaſti.

Alia Oratio poſt S. Communionem ad eundem.

GLoriose Sancte Vincenti, te humiliter ſupplico, ut quemadmodum omne tuum ſtudium applicaſti, & omnes fervidiores preces direxiſti ad Deum, ut te liberaret à ſuperbia, modò mihi impetrare digneris fugam hujus vi-

vitii, sic oculis Divinis abominabilis, unde semper tecum teneam firmam cogitationem in cognitionem mei nihili, & ascendere possim ad veram cognitionem rerum omnium, quæ planè est Deus.

Tertia die Feriæ quartæ vel sextæ.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium ante S. Confessionem.

DEUS animæ meæ, qui propter compassionem mearum miseriarum, amplexus æterni Patris reliquisti, & descendens in terram, te hominem similem mihi reddidisti, ut in illis lineamentis amando me propter me, didicissem propter te, alium amare hominem similem tibi. Quid ego feci? injuriosè persequtus sum proximum meum: inobediens fui Divinis Mandatis,

JE-

JEſu mei ſimilitudines contempſi, meum Dominum conculcavi. Cæcus quàm fui? non amando meum proximum, mendaciter prætendebam diligere Deum meum, cum ipſe ſit amor charitatis ſupernaturalis, filius unius cordis, & cor ſedes tantum unius amoris. Ah quòd ſi cor infidelem Deo ſe fecit, non amando proximum, jam non deſtitit cor DEI diligere me. Domine fac, ut molliatur cor meum, ut deinceps ad priſtinas ingratitudines amplius non redeat, ſed cum ſtabili fidelitate amet te unicum bonum, & poſtea amet te in proximo, qui eſt viva imago tua, & ob amorem tui benefaciat illi, & ita cupio juxta tuum adorabile imperium, quod dicit. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Amodò & impoſterum

 dili-

diligam proximum meum, & omnes meos affectus, ad infinitam bonitatem tuam convertam, quæ verè est objectum, terminus, & centrum dilectionis meæ.

Alia Oratio ante S. Confessionem ad eundem.

GLoriose Protector mi, ecce ego prostratus ad tuos pedes frigidus, & gelidus, quia privatus sacro igne amoris DEI, & proximi, valde erubesco; videns me prægelidum pro unico objecto veri amoris, & è contra sic ardentem pro terrenis pulchritudinibus, & pro meis passionibus; ad te ideo supplex recurro, ut tuâ potentissimâ intercessione mihi gratiam obtineas detestandi inordinatum excessum amoris mei, & totum illum revolvam ad verum cen-

centrum, quod eſt Deus, & in conſideratione DEI, etiam dirigam illum ad proximos meos, ut deinceps cum Chriſtiano moderamine vitæ, bonis moribus, pietate, devotione, aliis præbeam ſtimulum ad virtutem, & hoc modo reparem damna facta proximo, meis malis exemplis. Adjuva me, ut peragam iſtam ſanctam confeſſionem, cum intimo dolore de præteritis negligentiis, & cum firmo propoſito ſtabilis emendationis. Tu qui cum ardentiſſima charitate, dum viveres, ſalutem proximi procuraſti, modò non dedigeris ſuccurrere huic pauperi ſupplicanti; tu dico, qui cum eadem charitate, quæ in immenſum aucta eſt, te reperis glorioſum in Cœlis.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium post S. Communionem.

MI DEUS, & DEUS amoris, qui cum charitate perfecta, respiciendo humanas miserias pretio perpessionum, sanguinis, & mortis imminentes ruinas, & nostras ærumnas æternas reparare voluisti, & ad hunc finem descendis in corda nostra sub speciebus panis, & vini, & te facis cibum animarum nostrarum, ut nutriti, & confortati ab ista Divina restaurratione, in terra ducamus vitam spiritualem, vitam amoris, & ut sublevemur, & pertingamus ad æternam, interminabilem, gloriosam vitam cœlestem. Ecce modò quam mercedem retribui illis Divinis impulsionibus, ecce quomodo respondi officiosis coactionibus chari-


ritatis infinitæ! quot animabus, quibus tu desiderasti conservare vitam, tua carne sacrata, tuo cruore Divino, ego ausus fui dare mortem, pessimis meis exemplis, dolosis verbis, sub specie subveniendi ipsorum indigentiis. Ah mi Domine Eucharistice, me confundo ante te, & de mea temeraria audacia valdè doleo; imploro à te veniam; & te deprecor per virtutem hujus Divini Sacramenti, quod est signum unionis, vinculum charitatis, ut in frigidum cor meum instillare digneris partem illius ignis cœlestis, quem cum tanto amore in pectus Sancti Vincentii infudisti, & ad illius imitationem adimpleam omnes obligationes, & officia charitatis erga proximos meos, & omnibus semper sim speculum pietatis, exem-

 plum

plum devotionis, & ſtimulus ad virtutem.

Alia Oratio poſt S. Communionem ad eundem.

JESU dulce meum bonum, qui ſicut DEUS, & ipſa charitas per eſſentiam, accende tuis flammis ſpiritum meum, ut alterius affectûs non ſit capax cor meum, quam affectûs tui, & proximi. Et tu Sancte Vincenti, qui erga omnes plenus es charitate, modò impetra mihi de cœlo, ubi nunquam deficit charitas, ut illa in anima mea nunquam extinguatur, donec tecum pertingere poſſit ad charitatem conſumatam in Cœlis.



QUAR-

QUARTA DIE FERIÆ QUARTÆ, VEL SEXTÆ.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium ante S. Confessionem.

PLena confusione, & afflictione, mi DEUS, hodie se præsentat ad Tribunal tuæ misericordiæ anima mea surda, & ingrata; fateor, quòd tot vicibus conculcavi tuam gratiam, tuos favores calcavi, & rejeci beneficia amoris tui: hoc verum est; fugi, ut incauta ovicula à tuo grege, à sequela Pastoris ita boni, & post illum abii, qui me ducebat in præcipitium. Præcipitavi tandem procul à te, tot vicibus offendendo tuam Majestatem. Ah amantissime Pastor, qui sub tua Providentia dimittis in deserto nonaginta novem fideles, & pergis ad inquiren-

rendam oviculam, quæ perierat, & inventam, ponis eam super humeros, & reductam gaudes, & lætaris: Ecce miser peccator, qui post delitias deviavit, dolens, & pœnitens, te offendisse. Veni, ah veni post vestigium miseri, quia jam resolvi dictaminibus tuæ gratiæ adhærere, & nunquam indurabo aures voci cœlesti, quæ vox sursum me ducit ad Patriam beatam.

Alia Oratio ante S. Confessionem ad eundem.

ECce ego Gloriose Sancte, ad tuos pedes confusus propter meos transactos defectus, quibus paucam æstimationem, & exiguum respectum ostendi Christo Domino, nimis audacter vertendo illi humeros, negando ipsi meos

affectus, ut illos terrenis pulchritudinibus, & caducis creaturis donarem. Me, etiam confundo, cognoſcens, quòd ad meas evomendas paſſiones, veni ad exceſſum adimendi ex memoria præſentiam illius infinitæ bonitatis, quam tot modis, & tantis meis reis ſatisfactionibus offendi: Et quaſi intus nec teſtem, nec Judicem mearum actionum haberem, indignâ libertate amplum curſum cogitationibus, verbis, & immoderatis affectibus meis permittebam. Glorioſe Protector mi, nunc ad te recurro, ut tu pro me intercedendo, & de præteritis meis negligentiis mercedem, & miſericordiam implorando, mihi impetres gratiam faciendi ſinceram, & dolentem confeſſionem, & ſimul Divinam aſſiſtentiam, ut ſemper in
me

me excitare possim ideas veri Christiani præsentiæ DEI constituti, & cognoscere potiùs Deum esse in me, quàm ego in me ipso: & sic semper respiciens cum debita reverentia Majestatem ita adorabilem, semper revolvam oculos, & affectus cordis mei in Deum, ut unicum amabile objectum, verum centrum, & ultimum finem.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium post S. Communionem.

ADorabilis mi Redemptor, qui cum excessu charitatis divinæ, vi hujus Sacramenti, descendis in cor humanum, ut in illud infundas sacrum ignem cœlestis amoris, & sic sublevetur in flammam ardentem, quæ nostra adurrat pectora; Ah modo te oro per virtutem hujus Divini Sacramenti, ut etiam

etiam in cor meum diffundas has cœleſtes flammas, deſtruens reſiduum ignis terreni, & ad imitationem ſervi tui fidelis, & Advocati mei Sancti Vincentii, aliud non dominetur, aliud non ſit in me, niſi tuus ſanctus, & caſtus amor. Et quidem quando te invenero in omnibus creaturis, & per immenſitatem tui eſſe, & per conditionem primi principii eum eſſentia, potentia, & præſentia, digneris etiam venire in cor meum cum natura aſſumpta, ut animam meam tuis ſacris carnibus, tuo cruore paſcas, & commiſerando ſtatui, ad quem reduxit eam peccatum, ſuos affectus ad te ipſum trahas: & te deprecor, ut facias, quòd ſicut modò, mediante iſto Divino Sacramento, te reſpicit præſentem, & intimè unitum, ita

ſem

ſemper reſpiciens intimam, & inalterabilem præſentiam tui eſſe Divini, contineatur intra limites verecundæ modeſtiæ, & ſervet in te revolutas omnes cogitationes, & affectus, & ſic magis magisque augeatur flamma tui amoris cœleſtis.

Alia Oratio poſt S. Communionem ad eundem.

O Vincenti magne Sancte, & fidelis, ego cupio ſemper ſervare vivam in mea mente fidem JEsu Chriſti, & amare ipſam ex corde. Hodie tibi præſento mea humillima vota, & impetra mihi, ut poſſim tuam imitari fidem, tuum zelum, ad illam ampliandam, perſeverantiam in ipſius doctrinis, à te toties mundo prædicatis, & gratiam in vera fide moriendi.

QUAR-

Quinta die Feriæ quartæ, vel sextæ.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium ante S. Confeſſionem.

PAter noſter amantiſſime, æterne Deus, qui in excelso gloriæ tuæ ſedes in Throno, jam ſcis quantum tibi debeo pro tot offenſis, quas feci, ideo indignum me recognoſco, & declaro tuæ veniæ; tamen quia me inſtruis, ut à te magnâ fiduciâ petam, ſpero, quod mihi remittes illas æternas ſatisfactiones, quæ pro meis peccatis tibi debentur, propter quod ego remitto illas, quæ mihi debentur ab illo, qui mihi injuriam fecit, & offendit. Heu mihi infelici! qui loco veniæ mihi attraho divinas vindictas. Si DEUS mihi condonaverit eo modo, quo ego con-

condono illi, qui mihi fecit *injuriam*, quid erit mecum! non ſcivi, nunquam ex corde meo eradicare volui illum livorem inteſtinum, & illas ſacrilegas detractiones: ſemper cum impudentia diabolica gloriabar, nunquam relinquere inultum etiam minimum verbum aſperum, mihi dictum potius inadvertenter, quàm cum malitia; & DEus ignoſcet mihi ſcelera mea? Ah quòd modò ante Sacrum Altare Sancti Vincentii, ante tribunal reconcilationis deteſtor, & abominor meas præteritas temeritates, adoro bonitatem, & miſericordiam DEI, qui cum ſit meus Judex, poterat in cinerem me redigere, & non fecit, obliviſcor omnium injuriarum, depono omnem rancorem ad pedes Crucifixi, qui in actu emittendi ſpiritum

ſup-

ſupplicat æternum Patrem pro ſuis perſecutoribus, Pater ignoſce illis, & propter amorem JESU amplector inimicum, diligo eum, qui me odio habet, & ad imitationem mei Sancti propono reddere bonum pro malo. Tantum ſpero exequi cum adjutorio DEI, & interceſſione Sancti Vincentii, Amen.

Alia Oratio ante S. Confeſſionem ad eundem.

GLoriose Sancte, fervidiſſime propagator Fidei, ad te confuſus, & dolens recurro, nam cum in vita tua, oſtendiſſes ardentiſſimum zelum plantandi, & in pectoribus humanis diffundendi fidem, obtine mihi modo id, quod facie detecta frueris, & in vita tanta firmitate credebas; præterea mihi im-

impetra ſincerum amorem Sanctæ Fidei, ut poſſim inſtrui circa myſteria, & actus ad ipſam ſpectantes: Tandem aſſiſte mihi, & adjuva me, obtine mihi radium lucis ſupernæ, ut cognoſcam omnes culpabiles omiſſiones, & eas confiteri poſſim in modum, quo remedium afferam omnibus erroribus, defectibus, & omiſſionibus, in præcedentibus confeſſionibus commiſſis. Ah miſer qui ſum: nomen Chriſtiani gero, & ad omnia alia attendo, quàm ad erudiendum me in idæis, & myſteriis Fidei Chriſtianæ. Modò tamen promitto tibi mediante auxilio DEI, & tua aſſiſtentia, corrigere præteritas peccaminoſas negligentias, & inquirere ab aliis neceſſarias eruditiones. Imploro interea tuum auxilium, & quantum à te

mo-

modò flagito tantum firmâ fiduciâ consequi spero, mediante tuâ potentissimâ intercessione.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium post S. Communionem.

EUcharistice mi Domine, tu cum charitate infinita, cum stupendo inaudito prodigio, te facis verum alimentum animæ meæ, realiter descendendo sub umbra istius Sacrosancti azymi in cor meum, & ego ingratus, & infidelis reclusum, & oppressum servo illud ipsum lumen, à te singulari beneficio mihi infusum; Tunc quando dignabaris annumerare me in numerum tuorum fidelium, ego sine reflexione, non cognoscebam magnitudinem specialis amoris tuarum gratiarum, ita copiosè ex mysteriis tuæ vitæ,

passionis, & mortis redundantium, neque excitabam in me modicam Fidem, figens internas pupillas in sublimitatem doni hujus cœlestis, intuens, affectuoso aspectu, quis sit iste, qui cum tanta dilectione, in hoc Sacramento, præbet se cibum, nutrimentum, & vitam animæ meæ. Ah modò mi DEUS vivifica in me hanc Fidem, & reaccende meum amorem in illam, ut ad imitationem tui servi, & mei Advocati Sancti Vincentii, cum omni solicitudine applicem mentem meam, ut possim instrui in necessariis notitiis ad meas adimplendas obligationes, ad emundandum cor meum ab omni macula peccati, & ad semper conservandam Fidem firmam, stabilem, & vivam. Tu me conforta in ista sancta resolutione, quia e-

go

go plenus fiduciâ expecto tuum adjutorium: unde cum habeam te objectum mearum fiduciarum, sic consolidatâ meâ fiduciâ, totus consolatus affirmare possim, quòd *reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Alia Oratio post S. Communionem ad eundem.

O Sancte Protector Vincenti, ego bene cognosco, quòd omnis spes cordis humani debeat esse in Deo, corrobora igitur illam in corde meo, & te humiliter obsecro, ut ad exemplum tuæ firmæ, & miraculosæ Fidei, plenè sperando in Deum, cnm Sancto Davide non confundar in æternum; sed per tuam intercessionem, ita spes sit constans in bonum animæ meæ, & etiam fructuosa pro bonis temporalibus hujus vitæ.

SEXTA DIE FERIÆ QUARTÆ VEL SEXTÆ.

Oratio ad Sanctum Vincentium Ferrerium ante S. Confessionem.

AMantissime mi DEUS, qui supra infame patibulum Crucis confixus dignatus es mori in redemptionem peccatorum meorum, & ego non solum peccavi, sed iterato peccavi, tuas vindictas non timui, tibi rusticè humeros verti. Ah mi DEUS nolo amplius peccare, jam multum te offendi, volo redire ad te, ad tuam gratiam. Sed ego magnam habeo præsumptionem: Video offensum Dominum Cruci unitum, video ad sequendum illum Vincentium, cum perseverentia Crucem amplecten-

ctentem, & ego prætendo amplecti Crucifixum, & effugere Crucem? Modo meam cæcitatem agnoſco, & illam lugeo. Vixi procul Crucifixo, quia procul vixi à Cruce, poſthac ero totus tuus, quia tota mea erit Crux tua, donec vitam habuero, te ſequar per tramitem Crucis, in abnegatione mei ipſius, in qua conſiſtit tua vera ſequela.

Alia Oratio ante S. Confeſſionem ad eundem.

GLorioſe mi Protector Sancte Vincenti, ecce ego ante te pauper, miſerabilis, privatus omni virtute, & ſingulariter ſanctâ obedientiâ. Meus amor proprius, mea ſuperbia fons, & radix meorum malorum, me reduxit ad hunc deplorabilem ſtatum, ad ex-

tremum luctuosum vivendi in continua rebellione contra supremum Monarcham, illi negando debitam subjectionem, & obedientiam, secundandi meam proterviam, inclinandi caput, & curvandi collum tyrannico Imperio capitalis inimici illius, & mei. O quantum confundor, respiciens indignitatem meæ rebellionis! O quantum erubesco, quantum lugeo extremam cæcitatem mentis meæ, & obstinatam repugnantiam in obediendo illis, qui vices DEI visibiliter gerentes, me aberratum à via, reducere volebant ad rectum tramitem salutis æternæ, & ego adhærebam iniquis suggestionibus, & subjiciebam me novis vinculis iniquitatum, cum periculo æternæ damnationis meæ. Nunc detestor, & abominor meam per-

fidiam, & me humilio *sub potenti manu Domini*, inclino frontem ſuperbam Divinis imperiis, & promitto plenam ſubjectionem, & debitam obedientiam ſuæ legi, & imperio ſuo, manifeſtato mihi à ſuis Sanctis Miniſtris. Tu modò gloriose Sancte Vincenti adjuva me, & in iſta ſancta reſolutione impetra mihi ſtabilitatem, mihi aſſiſte, ut incipiam in præſenti Confeſſione recipere ſalutaria documenta, cum docili humilitate, & adimpleam cum prompta obedientia, cum inalterabili conſtantia, quantum mihi à Confeſſario fuerit impoſitum.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium poſt S. Communionem.

JESU Euchariſtice mi Domine; tu ad mihi inſtillandum pium

affectum erga sanctam obedientiam, ad me inducendum ad debitam subjectionem tuorum Divinorum præceptorum, fecisti te ducem in ista, difficilem depravatæ naturæ, sed tamen veram viam Cœli, semper obediens fuisti usque ad mortem, & mortem pœnosam Crucis; Tu de nulla re tantum gloriabaris in terris, quantum exequi non tuam, sed voluntatem Patris Cœlestis. Et ego vilis, & abjecta creatura quomodo correspondeo invitis, quomodo secundo vestigia, quomodo exempla sequor DEI humanati? Ego semper intentus ad meam faciendam voluntatem, ad meas secundandas inclinationes; excutio svave jugum tuæ legis, tibi nego subjectionem, ad solum obedientiæ nomen totum me contorqueo, &

magis me vinculo duræ captivitati appetitus, passionis & peccati. Ah mi DEUS, cum modò habeam te in pectore meo, muta, te obsecro, meas opiniones, & illustra mentem meam, ad cognoscendum meum errorem, inflamma cor meum ad amandum verum amabile objectum, & mihi infunde ideas veri obedientis, & sic me conformabo tibi, tua documenta, & tua vestigia sequar, cum omni attentione adimplebo Præcepta tuæ sanctæ Legis, & propter amorem tuum plenâ & humili subjectione obediam tuo vicegerenti, quem destinasti mihi, ut sim subjectus, & obediens.

Alia Oratio post S. Communionem ad eundem.

O DEUS magna est bonitas tua er-

erga me, & magna ingratitudo mea erga te! usque modò gravia commisi crimina, & pro ipsis non satisfeci. Dona mihi, patientissime Deus, spatium pœnitentiæ, & tu Sancte Vincenti istud spatium impetra mihi à Divina Misericordia, ut cum Sancto Paulo possim dicere: castigo corpus meum, & in servitutem redigo. O mi Sancte Advocate, impetra mihi tempus, ut contritione possim mundare spiritum meum, ornare tuis virtutibus, & me reddere dignum vivendi cum Christo in æternum.

Septima die Feriæ quartæ, vel sextæ.

Oratio ad S. Vincentium Ferrerium ante S. Confessionem.

Mi Redemptor bene video, quòd hucusque non cogita-

vi mori, quia non didici bene vivere. Malè moriar, si malè vixero, sed bene moriar, si bene vixero. Tua magna misericordia videns me à longè redeuntem peccatorem pœnitentem, venire te facit obviam mihi, offensionum oblivisci, me tenerè amplecti, in tuam gratiam ponere, mihi merita perdita per peccatum restituere, & majoribus adjutoriis me roborare, ad perseverandum in tuo amore. Cum benignissime Deus tribueris mihi contritionem peccatorum meorum, & mihi dederis animum firmum, nunquam te offendendi, & in melius renovandi vitam meam, per tuam pietatem etiam concede mihi perseverantiam finalem, ut cum dispositus fuero ad bene moriendum, dicam: Moriatur anima mea morte justo-

rum; sed prius dum vixero in ista valle lachrymarum, & correspondeant opera verbis, dicam: vivat anima mea vitam devotam, serviat DEO omnibus viribus, & post repletus spe repetam: moriatur anima mea morte justorum. Ah mi chare JESU, fac me vivere, in tuis vulneribus, ut moriar in tuis brachiis.

Alia Oratio ante S. Confessionem ad eundem.

GLoriose Sancte Protector mi, & cum qua facie, cum qua audacia possum me præsentare ad pedes tuos, cum videam me longinquum à vita spirituali, à tua devotione, & quasi cogito denuo amplecti pristinas libertates, & detestata peccata? O quantum horresco, & qualis confusio cooperit

rit me, dum considero lumine Fidei meam monstruosam inconstantiam, & enormem audaciam; Ah Sancte Gloriose ne permittas, ut ita mihi accidat; sed sicut cum tanta pietate mihi gratiam implorasti ad excutiendum importabile jugum culpæ, ad inchoandam vitam Christianam; ita modò miserendo debilitati, & magnæ miseriæ meæ, obtine mihi, ut hoc lumen cœleste semper illustret mentem meam, ad respiciendam deformitatem instabilis cordis mei. Præterea obtine mihi gratiam, ut firmus, & constans perseverem usque ad mortem in bonis propositis, in sanctis resolutionibus, quas omnes modò renovare intendo, & ad tuos pedes ratificare, & detestor qualemcunque oppositam idæam, & contrariam cogitatio-
C 7 nem.

nem. Fac ut in iſta ſancta confeſſione cum intimo dolore accuſem inſtabilitatem titubantium affectuum meorum, & ſic animatus, & confortatus à ſanguine Chriſti, qui omnia operatur in Divino Sacramento, immobilis maneam contra impetum inimicorum meorum.

Alia Oratio poſt S. Communionem ad eundem.

ADorabilis mi Redemptor, tu nunquam laſſus fuiſti; ſed pretio tuarum afflictionum, pœnarum, & tormentorum ſemper promoviſti magnum negotium ſalutis meæ; tu cum infinita Miſericordia non defatigaris ſuſtinere me infidelem, & ingratum peccatorem, ſed continuò, cœleſtibus luminibus gratiarum tuarum proſequeris promovere, & operari ſal-

va-

vationem meam, ſtimulas me ad pœnitentiam, & invitas me ad tuum amorem. Et modò cum per ſummam tuam pietatem, & incomprehenſibilem clementiam inceperim reſpirare auram Cœleſtem, vivere vitam gratiæ, & ſancti amoris, tam ingratus ero erga te, & tam crudelis erga me, ut non parum utar violentiâ contra meas paſſiones, & eligam redire ad miſeram mortem peccati? ita citò faſtidio tuum amorem, ita citò moleſtiam mihi affert humile, & devotum obſequium tibi debitum? O quam ingratum, quam impium, & crudele eſt cor meum? Ah Omnipotens DEUS muta iſtam perverſitatem meorum ſenſuum in pietatem, & veras idæas Chriſtianas, & id quod cum tanta clementia cœpiſti operari in me, ne de-


di-

digneris perficere, ducendo me per tuam misericordiam ad felicem terminum tui sancti amoris. Et cum sit proprium hujus Divini Sacramenti confirmare animam in bono, & illam à malo opposito præservare, concede mihi, ut confirmetur, & corroboretur spiritus meus, semper firmus, & stabilis in bonis propositis, fidelis erga tuam gratiam, & ut nunquam ob aliquam difficultatem deflectat ab incepto cursu tuæ sanctæ viæ.

Alia Oratio post S. Communionem ad eundem.

O Juste DEUS, non qui incipit, sed qui ad gloriosum finem pervenit, à te coronatur; O mi Sancte Advocate ad tuos pedes prostratus, apud Divinam Majestatem, tuam validam protectio-

ctionem interpone, ut consequi possim fervorem, orationem, & amorem, prosequi Divinum servitium, & nunquam refrigescere in exercitio Christianarum virtutum. Gloriose Sancte manifesta in hoc tuam validam protectionem, ut incedendo indefessè per viam boni, pertingam ad meum terminum fortunatum, qui est Cœlum, Amen.



PRA-

PRAXIS DEVOTIONIS

IN HONOREM SANCTI VINCENTII FERRERII,

SEPTEM DIEBUS FERIÆ QUARTÆ, VEL SEXTÆ PRÆCEDENTIBUS IPSIUS FESTIVITATEM.

Prima die, facto signo Sanctæ Crucis, dicetur sequens oratio præparatoria, quæ etiam repetitur tantum singulis septem diebus Feriæ quartæ, vel sextæ.

Oratio.

DEUS Omnipotens, Dominus omnium creaturarum, qui per gratiam tuam de nihilo nos creasti, & per tuam Divinam misericordiam nos redemisti. Piissime Pater, qui ut introducas in corda nostra justum timorem tremendi judicii, voluisti, ut judicati fuis-

fuiſſemus à filio tuo, & ipſe, ut parati inveniamur, ſuâ potenti manu elegit Sanctum Vincentium fidelem præconem illius diei: Concede nobis Domine per interceſſionem ejusdem Sancti, ut iſta ſacratiſſima manus, quæ dignata eſt tangere puriſſimum vultum Sancti Vincentii, etiam imprimat in cordibus noſtris debitum reſpectum tuæ Majeſtatis Divinæ. Omnipotens Deus iſta manus ſit illa, quæ nos reſurgere faciat à præcipitio culpæ, illa, quæ nos contineat, ut non cadamus, illa, quæ ab animabus noſtris diſſipet infernales inimicos, illa, quæ removeat ab occaſionibus te offendendi, illa, quæ in noſtris debilitatibus nos ſuſtineat, à periculis nos liberet, & in tremendo Judicio nos ſalvet, ut mereamur audire ab

illo

illo benigno Judice: *Venite benedicti Patris mei percipere Coronam, quam ab æterno vobis præparavit mea clementia*, quæ eſt beatitudo Gloriæ Cœleſtis, in qua vivis, & regnas cum dilecto Filio tuo, & Redemptore meo, in unitate Spiritus Sancti. Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Depræcatio ad Sanctum Vincentium Ferrerium.

INnocentiſſime pœnitens Sancte Vincenti, qui per totum decurſum tuorum dierum ſubjeciſti corpus cum omni rigore aſperitatum, & flagellorum, quamvis in te non fuerit culpa, quæ ſimilem promeruiſſet pœnam: Aufer à me miſero terrorem, quem ſuſtinet caro mea ad ſolum nomen mortificationis, & efficaciter mihi concede, ut ſa-

tis-

tisfaciam JEſu meo, qui pro meis offenſionibus malè injuriatus eſt. Si anima habuit corpus pro ſocio in culpis, habeat etiam in pœna. Volve JEſu bone per interceſſionem Sancti Vincentii, qui ſemper cum fervore tuum rigidum annunciavit Judicium, volve contra carnem meam acutas ſpinas, quæ amore mei transfixerunt tempora tua, & transfige in me immoderatum appetitum, & illicitas ſatisfactiones, ut ſic vulneratus, non poſſim vinci à culpa, & in die finali judicii damnari ad ſupplicium. Glorioſe Sancte Vincenti, puriſſime Angele, candidum Lilium, ſpeculum caſtitatis, quam adjutus Divinâ gratiâ conſervaſti, experiendo in tuo delicato corpore rigoroſas, & aſperas pœnitentias, exercitia orationis, & fervidæ con-

templationis, & cum armis Crucifixi te defendisti à periculosis insultibus carnis; impetra mihi amorem DEI, orationem, & perfectam mortificationem passionum mearum, ut totaliter subjugando carnem spiritui, sint meæ cogitationes, & affectus cœlestes, & obtineat anima mea promptitudinem exequendi ea, quæ DEO magis placent, & vitandi ea, quæ maculare possunt puritatem cordis mei, Amen.

Modo dicentur quinquies Pater noster, & Ave, in honorem quinque digitorum illius manus Divinæ, quam Christus applicuit vultui S. Vincentii, ut per meritum suæ puritatis (& aliis diebus dicetur virtus correspondens) aquiramus unum sanctum timorem DEI, & omnes thesauros, quos in ipso Sancto reposuit æternus Pater; cum orationibus sequenbus.

Ora,

Oratio.

AMantissime Pater Sancte Vincenti, tu scis necessitatem, quam patitur anima mea, & qua indiget consolatione, à te quærit cor meum, ut apud DEUM tuam potentem interponas intercessionem, ut per tua merita obtineat à Divina pietate gratiam, & consolationem ad ipsum amandum, & serviendum, in sæcula sæculorum, Amen.

Antiphona ad S. Vincentium.

Adsit nobis propitius in hujus vitæ vespere, ad Christum nos Vincentius tuto ferens itinere.

℣. Ora pro nobis B. Vincenti.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ore-

Oremus.

DEUS, qui gentium multitudinem mira Beati Vincentii Confessoris tui prædicatione, ad agnitionem tui nominis venire tribuisti; Præsta quæsumus: ut quem venturum Judicem nunciavit in terris, præmiatorem habere mereamur in Cœlis. Christum Dominum nostrum, Amen.

SECUNDA DIE FERIÆ QUARTÆ, VEL SEXTÆ.

Deprecatio ad S. Vincentium Ferrerium.

SAncte Vincenti, limpidissimum speculum humilitatis, cum omnis tua præcatio erat semper intenta supplicandi Majestatem Divinam, ut te liberaret à spiritu superbiæ, fac me taliter comprehen-

dere meum nihilum, ut ſic humiliatus conſequi poſſim Miſericordiam Dei. Quam vana præſumptio eſſet mea, me jactare de peccato, de malitia, de nihilo, de offenſa DEI, longè à meo Creatore? Tu magne Sancte, ut invenires DEUM, non te extollebas, ſed te humiliabas; & tu mi Euchariſtice Redemptor, quando viſitas me, tantum humilias Majeſtatem tuam, & ego vilis, & miſerabilis creatura, tantum me extollo. Quid amplius quæro? modò meus Sanctus Advocatus me invitat ad immitationem ſuæ hæroicæ humilitatis; Deus meus deſcendit in cor meum, cum exceſſu humilitatis. Niſi ſequar Sanctum Vincentium cum generoſa humilitate, ſi modò non accepto Jeſum cum actibus veræ humilitatis, ſum ingratus,

 ſum

ſum ſacrilegus ; Ah mi DEUS paradiſus eſt humilium; humilitatem quæro, humilitatem amplector.

Glorioſe Sancte Vincenti ſpeculum humilitatis, qui pro ſancto venerabaris à toto mundo, pro oraculo tenebaris à Monarchis, & Principibus Eccleſiæ, & ab omnibus admirabaris propter magnam poteſtatem *faciendi miracula* ; & tamen nunquam potuit inimicus introducere in animam tuam, nec levem ſtatum vanitatis, & ſuperbiæ ; imò potius te reputabas coram Deo pro viliſſima, miſerabili, & abominabili creaturà, ad omne peccatum inclinatam, indignam portandi habitũ Sancti Dominici. Impetra mihi lumen Domini, qui bene cognoſcens meum internum, miſereatur mei, & non patiatur, ut dominetur in me ſuperbia, pro-

pria

pria laus, contemptus proximorum, & præsertim majorum meorum. Fac mi Sancte, ut imitando te, omnia vitia relinquam; aperi mihi tua potenti intercessione portam Divinæ Misericordiæ, ut distinctè cognoscam omnes meas miserias, & defectus, eos emundem, & serviam Domino spiritu contrito, & humiliato, Amen.

TERTIA DIE FERIÆ QUARTÆ VEL SEXTÆ.

Depræcatio ad S. Vincentium Ferrerium.

GLoriose Sancte Vincenti, ad talem excessum pervenit charitas tua erga proximum, ut cum non potueris pro tua paupertate eorum succurrere indigentiis, tanta fide de cœlo petisti eorum necessarium, ut nihil negatum fuerit

tuæ dexteræ Thaumaturgæ. Ecce mi Sancte ad te recurrit unus egenus, miserabilis, & indignus, ut succurratur à te, quia ingratus fuit erga calamitates aliorum. Scio tuum amorem, ita fuisse generosum, ut benefaciebas etiam iis, qui tibi insidiabantur: Exaudi igitur modò supplicationes meas, & mihi impetra à Deo amorem ad amandum, compassionem ad compatiendum, liberalitatem ad providendum necessitatibus proximi mei; Quod si ita ne feceris (quod absit) perderetur anima mea, & erit venenum justæ damnationis, Corpus Eucharisticum JEsu, quo me cibavi, erit præludium sempiternæ maledictionis in die visitationis supremi Domini, pro me non erit amplius amor, sed ira, & vindicta, digna punitio illius,

qui

amare non vult. Ah misericors Sancte, priusquam discedam à tua præsentia, confisus in Zelo, quem pro salute animarum nutrivisti, spero à te obtinere gratiam, quod salvetur anima mea, & sic diliget Deum, & proximum in perpetuum, Amen.

O gloriose Sancte Vincenti Pater piissime pauperum, qui pro ipsis succurrendis, ita fuisti liberalis, quòd in primis annis infantilitatis tuæ, pro illis alendis, ex ore proprio tibi surripuisti cibum, & ante ingressum Religionis omnia tua inter ipsos dividere fecisti, etiam miserere mei, qui ad ista bona caduca, & mundana ita sum inclinatus, quod parum existimo afflictos, & mendicos: Impetra mihi à Jesu meo cor liberale, suave, & compatiens, ut misericor-

 diam

diam habendo de pauperibus, & afflictis, obtineam à Divina pietate remissionem peccatorum meorum, & prœmium gloriæ cœlestis.

Gloriose Sancte, cujus charitas erga proximum, tantum ardebat in corde tuo, quod nec magna turba cæcorum, surdorum, & claudorum, qui ad te pro salute recurrebant, non potuit retardare voluntatem tuam pro majori bono illorum, imò potius amore vinctus, continuam applicationem ponebas pro spirituali bono animarum, & pro salute corporali infirmorum. Impetra mihi à Deo charitatem ardentem, quæ destruat invidiam, quæ me tantum consumit, & in me maneat singularis lætitia de bono spirituali, & temporali proximi, & cum pio

desiderio succurram eorum necessitatibus, Amen.

Quarta die Feriæ quartæ, vel sextæ.

Depræcatio ad S. Vincentium Ferrerium.

Fidelissime ductor Cœli Sancte Vincenti, qui meruisti à summo Deo distingui tantâ gratiâ, & ornari tantâ gloriâ in Cœlo, doce me modum, & ostende medium; ut deinceps cum summa promptitudine acceptare possim invitationes Jesu mei, qui non contentus pulsare ad portam cordis mei internis vocationibus, voluit modò, ô excessum amoris! modò voluit in persona penetrare in cor meum, ut solus loqueretur mihi soli, & exhiberet mihi suum amorem. Non amplius mi Deus, jam vi-

victus ſum, tua infinitâ bonitate. Longè objecta mundana, cor meum non amplius erit veſtrum, à JEſu meo accepi, & JEſu illud reddo.

Glorioſe Sancte Vincenti, qui pro majori libertate tui ſpiritus jejuniis, ciliciis, vigiliis, lachrymis, & obſtinentiis crucifixiſti in Cruce Chriſti tuos appetitus, & cruci affixiſti ſenſus perfectæ mortificationis, & rigorosæ obſervantiæ legis, cum contemptu mundanorum guſtuum, & cum deſiderio cœleſtis dulcedinis, reſpice oculo miſericordi me tibi devotum, qui aliud non quæſivi, quàm adimplere meos appetitus, & relinquere Deum, qui ſolus poterat ſatiare deſideria voluntatis meæ; Impetra mihi continuum guſtum cœleſtium bonorum, & abo-

abominationem ad mundanos, & ut vivam cum moderatione secundum beneplacitum DEI, & Domini mei, Amen.

QUINTA DIE FERIÆ QUARTÆ, VEL SEXTÆ.

Depræcatió ad S. Vincentium Ferrerium.

INvicte Angele mansvetudinis, Sancte Vincenti, in cujus angelico vultu sereno nunquam apparuit turbatio, & scintilla indignationis; veni ad portam cordis mei, in quam pauló ante descendit DEUS mansvetudinis, & pacis, & ne permittas, ut amplius locum habeant alterationes iræ, & machinationes vindictæ. Fac, ut sub protectione tua exterius semper fruar mansvetudine inalterabili, & interiùs tranquilitate im-

perturbabili, ut in hoc momento, in quo bonus JESUS me admisit ad osculum pacis, & mihi tribuit gratiam suam, perseverem in ipsa, & nunquam ipsum offendam immoderatis motibus iræ, & postea habeam sortem introduci ad *felicitatem* illius pacis, quæ promittitur veris mansuetis, & æternaliter fruitur in Paradiso.

O gloriose Sancte Vincenti, Angele virtuosissime, qui cum invicta fortitudine subjecisti passiones dominio rationis, & semper operabaris secundùm lumen clarum tuæ cognitionis, ut neque Dæmonium suis dolis potuerit te abducere à via perfectionis; humiliter te supplico, ut mihi à DEO obtineas invictum robur, refrenandi inordinatas meas voluntates, & abominandi quantum of-

fert

fert caro, & mundus, & ut cognoſcam deceptiones Dæmonii, & reſiſtam illi, usque dum victorioſus maneam, Amen.

SEXTA DIE FERIÆ QUARTÆ VEL SEXTÆ.

Depræcatio ad S. Vincentium Ferrerium.

ADmirabile exemplum patientiæ Sancte Vincenti, cujus vivere vita mortali, fuit continuum ſequi Salvatorem per Calvarii perpeſſiones, hoc mane pietatem habe erga cor meum, ita delitiis mundi immerſum, ut omnis licet exigua pœna illud terrefaciat. Tu illud anima, & fortifica, ut modo ſe reddat dignum habitaculum DEI, qui per os Isaiæ facit ſe appellare: Virum dolorum, qui expectavit me ad pœnitentiam,

tiam, & semper se præbuit mihi benignum, patientem, & misericordem. O ingratissimum cor meum! & modò ad exemplum Sancti Vincentii, cui tanto fervore devotionis te dedicasti, ignoras te serio resolvere currere obviam cruci JEsu? Visne segregari à consortio Christianorum, quorum nomen significat sectatorem Crucis? Ah non mi Deus, modò curro obviam Cruci, & illam amplector bona voluntate, cum Andrea Apostolo illam veneror: Salve Crux Sancta, cum gaudio, & securitate venio, ut per te me recipiat ille Dominus, qui supra te exhalavit animam suam, in Redemptionem animæ meæ.

Gloriose Sancte Vincenti, in quo ira excitare potuit nec levem scintillam inter multas molestias,

 qui-

quibus homines invidi tuæ ſancti-
tatis te maculare volebant, imò
potius ad imitationem Chriſti
condonabas omnibus, qui te gra-
viter offendebant; Ah mi Sancte,
miſerere mei, qui ita ab ira poſ-
ſeſſus ſum, ut propter leve moti-
vum mihi occurrens, ſtatim lin-
gua movetur verbis, armantur ri-
xæ, & in pectore remanent indig-
nationes; Impetra mihi à Deo inju-
riarum tollerantiam, & offenſa-
rum, quæ mihi acciderunt, vel
occurrent, ut in me reverſus, cum
conſideratione debilitatis meæ,
compati ſciam alienis, & ex vero
corde ignoſcere inimicis meis.

O Glorioſe Sancte Vincenti, qui
totus es incenſus flamma Divini
amoris, ſicut manifeſtavit Spiritus
Sanctus, qui ante conſpectum ma-
gni concurſus populorum, in for-

ma ignis descendit supra caput tuum, ad cujus vim in sublime elevatus fuisti, ad mensam perennem Salvatoris, ubi gustasti cœlestes dulcedines Divinæ bonitatis; te supplico, ut mihi concedas scintillam amoris Divini, qui evanescere faciat meas debilitates, consumet amorem proprium, illuminet intellectum, inflammet voluntatem, ut amare possim summum bonum, & postea fruar ipso per æternitatem, Amen.

SEPTIMA DIE FERIÆ QUARTÆ, VEL SEXTÆ.

Depræcatio ad Sanctum Vincentium Ferrerium.

DIlectissime amice DEI, Sancte Vincenti, qui in placido somno pacis animam innocentem emisisti, fac, ut cum JESU meo, quem

quem in pectore teneo, me taliter uniam, ut non dedignetur me admittere intra numerum suorum electorum, quibus promisit per Regium Prophetam, quòd ad svavem somnum transitûs eorum, immediate succedet occupatio patrimonii cœlestis; Impetra mihi tuis supplicationibus à Deo, quo nunc frueris facie ad faciem in Paradiso, ut ego merear adscribi in catalogum servorum suorum, dum etiam ego instanter eum rogo, ut mihi talem gratiam concedat, Amen.

O Gloriose Sancte Vincenti, Pastor Zelantissime gregis Christi, qui videndo multas animas aberrantes, & morsas à lupo infernali, nec scabrositas viarum, nec inclementia temporum potuerunt detinere Zelum tuum, ut eas redu-

duceres ad gremium Ecclesiæ, & illis tribueres salutarem medicinam, inter quas sunt multi hæretici, quos ad Fidem Catholicam reduxisti, & peccatores ad pœnitentiam; Igitur cum me inveniam culpis aggravatum, tuum patrocinium imploro, ut à Deo obtineam veram contritionem de omnibus meis culpis, & magnam custodiam sensuum, & potentiarum mearum, & ut remaneat libera anima mea ab omni periculo, & offensione DEI, Amen.

In hoc ultimo die post quinque Pater, & Ave, & Orationes positas in prima die, dic Te Deum.



In die Festo S. Vincentii Ferrerii 5. Aprilis, post visitatam Ecclesiam PP. Prædicatorum, facta Confessione, & Communione, ad lucrandas Indul-

gen-

gentias plenarias illo die à summis Pontificibus concessas Fidelibus, devotus poterit dicere orationem sequentem.

Oratio.

DE alto Throno Gloriæ tuæ, ubi per merita tantarum hæroicarum virtutum frueris intima familiaritate æterni Monarchæ, O inclyte Apostole Hispaniarum, & Christianitatis, Sancte Vincenti Ferreri, porrige dulcem aspectum benignæ dignationis, ad humilem oblationem votorum meorum, quibus tuam implorat protectionem pauper peccatrix anima mea. Interea ne dedigneris me admittere in numerum aliorum tuorum Devotorum, qui à te sunt beneficati, & defensi, & ad invocationem sancti nominis tui replentur cœlestibus benedictionibus.

In-

Inter multitudinem animarum justarum, quæ te invocant suum Advocatum, & Patrem, ah audi etiam vocem miserabilis peccatoris, & ne velis propter gravia peccata mea me rejicere à te, ut indignum, & desinere Protectorem esse universalem; tantò amplius, quantò ista mea indignitas, demeritum & miseria majori vi venustiorem ostendet vivacitatem charitatis, quam in vita exercere solebas cum peccatoribus. Jam ista nobilis flamma, in Cœlo non extinguitur, & minuitur, sed lumine splendidiori magis accenditur, & fit major. Renova igitur illam humilitatem quâ te humiliasti cum personis abjectis, & peccatoribus, illam mansvetudinem, quâ corde fraterno tuos inimicos recepisti, nam ego quoque tibi ad-

adverſarius fui, dum meis vitiis me oppoſui tuis virtutibus, & ſupra omnia pro me renovabis illum ardentiſſimum Zelum, cum quo ad Deum ducebas animas magis aberrantes, & rebelles. O amantiſſime Advocate, iſte eſt finis, propter quem tuam imploro aſſiſtentiam, & adjutorium, iſte eſt ſcopus, in quem omnia mea deſideria, & affectus collimant, id eſt corrigere abuſus meæ malæ vitæ, à Deo obtinere remiſſionem graviſſimarum mearum culparum, conſequi lumen, & vires calcandi viam Chriſtianæ perfectionis, & in tutum ponendi animam meam, pro qua Redemptor meus totum ſuum ſanguinem effundere voluit. Trado igitur animam meam in manus tuas, ut per te ſalva fiat, & quia omnia temporalia negotia mea ad

hunc finem debent ſervire, in melius redundabunt, quando tu æterni negotii mei curam ſuſceperis. Hic dies erit tibi memorabilis, & per totam æternitatem glorioſus, ſi ad attingendam tuam mercedem ego pervenero, ut à largitore bonorum omnium merear gratiam redeundi ad bonam frugem. Obtine mihi benigniſſime Sancte, ut brevi cursu paucorum dierum, quæ mihi ſuperſunt, vivam ſecundùm normam & imitationem tuarum hæroicarum virtutum, & perveniam tecum, & cum omnibus fortunatis electis ad laudandum, & benedicendum Divinam Miſericordiam, Amen.



Exer-

Exercitium devotionis recitandum qualibet die, ut Sanctus Vincentius insinuabat.

EGo te adoro Sanctissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres Personæ distinctæ, unus solus Deus, & cum adjutorio tuo, quod suppliciter imploro, me humilis in abysso mei nihili, sub nutu Majestatis tuæ.

Credo in te firmiter, & millies ponerem vitam ad testificandum id, quod mihi dignatus es denunciare mediante Sanctâ Scripturâ, & tua Sancta Ecclesia.

Pono in te omnem spem meam, & quantum habere possum de bono, & spiritûali, & temporali, sicut in ista vita, ita & in alia, totum ex tuis manibus desidero, spe-

ro,

ro, & ſolum volo; mi Deus, vita mea, & ſola ſpes mea.

Hodie, & pro ſemper tibi trado corpus, & animam meam, potentias meas, memoriam, intellectum, & voluntatem, & omnes ſenſus meos.

Proteſtor, quantum eſt in me, quòd nunquam conſentiam rei, quæ ſit in offenſam Majeſtatis tuæ.

Promptus ſum, ut tibi placeam, acceptare qualemcunque pœnam, quæ ex tuis manibus mihi venerit.

Vellem facere, ut in mundo Majeſtas tua ab omnibus hominibus amaretur, & glorificaretur.

Gaudeo de tua æterna felicitate, & mihi gratulor, tantum te eſſe glorioſum in cœlo, & in terra.

Ago tibi maximas gratias, & pro be-

beneficiis receptis, & pro iis, quæ à Majeſtate tua recipiam.

Toto cordis affectu amo bonitatem tuam propter ſeipſàm, & vellem te diligere ſicut Angeli, & juſti te amant, quorum amori unio imperfectiſſimum amorem meum.

Offero Majeſtati tuæ cum meritis Chriſti tui, B. Virginis & omnium Sanctorum omnia opera mea, & tu in perpetum robora illa ſanguine Redemptoris mei.

Intendo acceptare, quot indulgentias poſſum in ſuffragium animarum purgatorii, & intendo offerre totum, quod poſſum in pœnitentiam, & ſatisfactionem peccatorum meorum.

Mi Deus, cum ſis ille, qui es, dignus infinito amore, & ſervitute, quantum poſſum doleo, &

pœ-

pœnitet me de omnibus peccatis meis, plus quám de omnibus malis temporalibus; humiliter peto veniam, & firmiter propono, nunquam amplius te offendere imposterum.

Mi JEſu, hodie, ſemper, & donec mihi conceſſeris, maneo in tuis vulneribus, tu in illis me defende, & humiliter cupio videre, & amare te in æternum, Jesu, Joſeph, & Maria, vobis dono cor, & animam meam.

Exercitium devotionis quotidie recitandum in obſequium B. V. Mariæ, inſinuatum à S. Vincentio Ferrerio.

PRoteſtor coram Sanctiſſima Trinitate, & tota cohorte Cœleſti, poſt Chriſtum me tenere pro mea peculiari Domina, & Advo-

vocata, & Matre, Sanctissimam Virginem MARIAM Matrem DEI, & pro tali eligo te hodie, & novo titulo me offero tuo perpetuo servitio.

Te æstimo, te veneror, ut veram Matrem DEI, & firmiter credo totum id, quod de te credit Sancta Mater Ecclesia, & spero mediante te consequi salutem animæ.

Post tuum Filium, te amo supra omnia, & vellem Domina mea, ut omnes te diligerent, sicut mereris, & ut omnes te amaremus, sicut te dilexerunt tot chari filii tui.

Mihi gratulor magnitudini tuæ, Mater es Filii, Filia Patris, Sponsa Spiritus Sancti, Regina Angelorum, & Imperatrix universi, de his omnibus gaudeo, ac si essent

mea propria, & gratias ago Majestati Divinæ, ut ad tam maximum honorem te exaltaverit.

Mater mea benedicta, quantum tibi debeo pro gratiis, quas à te, & per te recepi. Ah semper sis benedicta, & gratias tibi ago pro tantis beneficiis mihi indignæ creaturæ concessis, quia non tibi servivi, sicuti merebaris. Te exoro, ut mihi impetres plenariam remissionem peccatorum meorum, & veram imitationem tuarum hæroicarum virtutum humilitatis, charitatis, castitatis, patientiæ, obedientiæ, & perseverantiæ usque ad mortem.



Ora-

Orationes ad S. Vincentium Ferrerium pro cavenda morte improvisa Summi Pontificis Benedicti XIII. Ord. Præd.

ORATIO I.

O misericordissime Domine JESU, per tuas lachrymas, agoniam, sudorem sanguinis, & per mortem tuam de deprecor, ut à subitanea, & improvisa morte liberes me.

ORATIO II.

O benignissime Domine JESU, per ignominiosissimam, & acerbissimam flagellationem, ac coronationem tuam, per Crucem, & passionem tuam amarissimam, per omnem bonitatem tuam humiliter te rogo ut ne permittas,

me ſine Sacramentis morte repentina ex hac vita migrare.

ORATIO III.

O mi amantiſſime JESU, mi Deus, & mi Dominus per omnes labores, ac dolores tuos, per pretioſum ſanguinem, Sacroſancta Vulnera tua, per illas ſupremas, o mi amantiſſime JESU in Cruce voces Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me! & pervalidum clamorem: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum; ardentiſſime te deprecor, ut ne ſubitò hinc tollas me; manus tuæ o mi Redemptor, fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, ne quæſo ſic repentè præcipites me: da (oro) ſpatium pœnitentiæ, da felicitatem, & in gratia tua obitum, ut

te tota mente diligam, laudem, & benedicam in æternum, Amen.

ORATIO ULTIMA AD JESUM CHRISTUM.

DOmine JESU Chriſte, per quinque illa vulnera, quæ tibi in Cruce amor noſtri inflixit, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Utiliſſimæ Proteſtationes recitandæ ſemel in menſe, pro ob inenda grat a bene moriendi, ſecundum inſinuationem S. Vincentii Fer.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

EGo proteſtor in præſentia Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & in præſentia Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Dei; coram meo Angelo

 cu-

Custode, & Sanctis Advocatis; quòd volo vivere, & mori in obedientia Sanctæ Fidei Apostolicæ Romanæ Catholicæ, & firmiter credere, quantum continetur in articulis nostræ Fidei.

Dicitur integrum Credo.

Ego protestor, quòd si in puncto mortis dæmonium me tentaret in aliquibus documentis *Fidei*, nullatenùs volo consentire, imo modo detestor omnem suggestionem inimici, & volo mori in Fide Christi, in qua mortui sunt Sancti Martyres.

Si dæmonium me in desperationem poneret, dicens: quòd mea peccata sunt innumerabilia, & quòd bene non confessus fui, & quòd commisi defectum in aliquo peccato, vel in circumstantia necessaria, me declaro non con-

consentire velle, & fateor, quòd pro meis peccatis mereor mille inferos, sed spero in Misericordiam infinitam Dei, & in sanguinem à Christo Domino effusum, & si meminissem alicujus peccati omissi, modo confiterer, petendo veniam à sua divina Majestate, cum proposito nunquam amplius ipsum offendere mediante suâ Divinâ gratiâ.

Si dæmonium me tentaret de vana gloria, dicendo: quòd bonum feci in vita mea, & quòd salvus ero pro bonis operibus, à me factis; me declaro, semper fuisse magnum peccatorem, & nunquam aliud fecisse quam gravia peccata, & defectus, & si aliquid boni feci, id provenit à gratia Divina.

Si me tentaret dicens; me mori

ri juvenem, & relinquere Parentes, Amicos, & omnia mundi, me declaro, quòd contentus ſum mori illo tempore, quo DEUS me me vocabit ad ſe, & contentus ſum, me juvenem ire in Cœlum, quàm ſenem in Infernum, & ſi relinquo hanc vitam miſeram, ſpero invenire æternam, & loco Parentum Sanctos, & Angelos Cœleſtes.

Me declaro ex toto corde, quòd cupio tranſire ex hac, ad aliam vitam munitus Sacramentis Confeſſionis, Communionis, & Extremæ-Unctionis, & ſi propter aliquod accidens non reciperem, intendo nunc pro tunc efficaciter velle, & modò me declaro reum propter peccata commiſſa cogitationibus, verbis, & operibus, tam contra animam meam, quam contra

tra proximum, & doleo me offendisse summum bonum, cui servire debebam, & supra omnia amare.

Me declaro libenter acceptare mortem, quocunque modò mihi acciderit è manibus DEI, & patienter sufferre illam in satisfactionem peccatorum meorum, & ipsum rogo, ut nunquam me sejungat à sua sanctissima voluntate.

Tandem desidero, & humiliter obsecro Beatissimam Virginem Mariam Advocatam meam, ut sit Protectrix mea in puncto mortis meæ, ut me defendat ab insidiis inimicorum meorum, sicut etiam rogo meos Sanctos Advocatos, & præsertim Angelum meum Custodem, quem supplico, ut sicut custodivit me in hac vita, ita dignetur in puncto mortis meæ defen-

dere animam meam, & illam ducere ad Gloriam Cœlestem.

Protestatio S. Vincentii Ferrerii.

O Domine JESU Christe, ego quamvis indignus & miser peccator, firmiter, & puro corde, & ore, ad plenum confiteor Sanctam Fidem Catholicam, & omnes ejus Articulos, sicut Alma Mater Ecclesia Romana prædicat, docet, & tenet. Sed cum multa Domine occurrant pericula, & varia tentamenta, si forsan (quod absit) occasione ipsorum, aut in articulo mortis, aut aliàs per alienationem intellectus, ab ipsa Sancta Fide deviarem, aut alicui peccato consentirem, protestor nunc, pro tunc, & è contra coram tua Sanctissima Majestate, & tua glorio- sissi-

ſiſſima Matre Maria, Sancto Angelo meo Cuſtode, & Patre meo Divo Dominico, & omnibus Sanctis, quod in hac Sancta Fide Catholica, & in plenitudine fervoris ejusdem Fidei in Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ, Matris meæ, quæ neſcit claudere gremium redeunti ad ſe, ſine conſenſu alicujus peccati, volo ſemper vivere, & mori, Amen.

Verſus S. Vincentii Ferrerii ad obtinendam gratiam bene moriendi.

Miſerere mei Deus; & exaudi orationem meam. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea. Miſerere mei Domine; vide humilitatem meam de inimicis meis,

Miſerere mei Deus, quoniam tribulor; conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Miſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuam. Miſerere mei Deus, quoniam conculcavit me homo; tota die impugnans tribulavit me. Miſerere mei Deus miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea. Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die, lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ſicut erat &c.

Oratio.

DOmine JESU Chriſte, qui ſalvas

vas omnes, & neminem vis perire, & cui nunquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur; dixiſti enim ore ſancto, & benedicto: quidquid petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis. Precor te, propter nomen Sanctum tuum, ut in articulo mortis meæ, des mihi integritatem ſenſus cum loquela, vehementem cordis contritionem de peccatis meis, veram Fidem, ſpem ordinatam, charitatem perfectam; ut tibi puro corde dicere valeam: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, qui es benedictus, & glorioſus in ſæcula ſæculorum, Amen.



Oratio

Præscripta à S. Vincentio Fer. sterilibus fœminis ad impetrandam prolem, & multæ obtinnerunt gratiam. Inserviet etiam pro Fœminis periculosè parturientibus.

BEati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Uxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. Filii tui ſicut novellæ olivarum; in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo; qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion; & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio &c.

De

De remedio, seu devotione, quam Sanctus insinuabat contra imminentem tempestatem.

Primum dicitur psalmus: Deus in adjutorium meum intende. Litaniæ omnium Sanctorum, *Symbolum Sancti Athanasii*: Quicunque vult salvus esse &c. *Symbolum Apostolorum*: Credo in Deum Patrem Omnipotentem &c. *cum sequenti oratione.*

JESUS MARIÆ Filius, mundi salus, qui nos traxit ad Fidem Catholicam, nos in ea conservet, & beatos faciat, & ab hac tempestate liberare dignetur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Benedictio Aquæ S. Vincentii Ferrerii, pro infirmis.

Adjutorium nostrum &c.
Sit Nomen Domini &c.

Do-

Domine exaudi &c.
Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

MAjeſtatem tuam Domine, ſupplices exoramus, ut qui in deſerto eremi petram benedixiſti, ut bis à virga Moyſi percuſſa, aquæ ex ea largiſſimè egrederentur, & geminam illam percuſſionem Sacramentum paſſionis, & duo ligna Crucis ſignificare voluiſti, tua quoque benignitate, & clementia per ejusdem Sanctæ Crucis Myſterium aquam iſtam larga benedictione ✠ ſanctifices, ut omnis infirmus, aut obſeſſus, qui de ea biberit, vel ex ea aſperſus fuerit, ſentiat ſtatim ſalutarem tuæ benedictionis effectum. Per Dominum noſtrum &c.

Benedico hanc aquam in Nomine

DEI

DEI Pa✠tris Omnipotentis, qui hoc ad usum humanum gratum creavit elementum, ut sit sordium lavacrum corporis, & animæ mira potentia elevatum, potum sitientibus tribuat, refrigerium sit æstuantibus in via, & semita navigantibus, & qui in aqua, & per aquam in mundi universi submersione Sacramentum novæ legis præsignavit, cum octo animas salvavit in Arca super eam ambulante, apertis cataractis Cœli pluere fecit eam, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus super terram, hanc aquam benedi✠cat, & sancti✠ficet, ut ad sui Sancti Nominis, & Sancti Vincentii invocationem ægrotum sanet, consolidet infirmum, dejectum erigat, immundum purificet, ac petenti ab eo salutem potenter restituat.

In Nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Tangens Sacerdos aquam, Reliquiis vel Imagine S. Vincentii dicat.

Oremus.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & elemento huic aquæ meritis S. Vincentii, cujus Reliquiis *vel* Imagine, tangitur, virtutem tuæ iteratæ benedictionis infunde, ut bibenti fiat potus ad salutem. In Nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Quatuor Cruces in hac oratione præsignatæ fieri debent in aqua tactu Reliquiæ vel Imaginis.

Abstractis ab aqua Reliquiis, vel Imagine dicat Sacerdos.

Ad-

Adſit nobis propitius in hujus vitæ veſpere &c.

℣. Ora pro nobis &c.

℟. Ut digni &c.

Oremus.

Deus qui gentium multitudinem &c.

Benedictio infirmorum.

Sacerdos utramque manum ponat ſuper caput Infirmi, & dicat orationem de B. Vincentio, qua utebatur B. Ludovicus Bertrandus.

Super ægros manus imponent, & bene habebunt, JESUS Mariæ Filius, mundi ſalus, & Dominus, qui te traxit ad Fidem Catholicam, te in ea conſervet, & beatum faciat, & meritis Beatæ Virginis Mariæ, & beati Domi-

minici Patris noſtri, & beati Vincentii, & omnium Sanctorum, te ab hac infirmitate liberare dignetur.

Poſtea dicat.

Initium S. Evangelii ſecundum Joannem: In principio erat verbum, & verbum erat &c. *totum dicatur.*

Poſtea ſubjungit, dicens.

DOminus JESUS Chriſtus apud te ſit, ut te defendat: intra te ſit, ut te conſervet: antè te ſit ut te deducat: poſt te ſit, ut te cuſtodiat: ſuper te ſit, ut te bene✠dicat: qui cum Patre, & Spiritu Sancto in unitate perfecta vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Be-

Benedictio DEI Omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

O. M. D. G. B. V. M.

AC

S. V. F. H.



IN-

INDEX.

.Pro.

FINIS.



